

B. M. II, 181.

488/22

(X 1883903)

h. 50, 22.

Q. D. B. V.

DE



# SVEVORUM

NOBILIVM

# FOEDERE

SIVE

SOCIETATE

## St. Georgen = Schilde/

PRÆSIDE

## JOHANNRE REINHARDO

## HEDZINGER/

D. JURISPRUD. UNIVERSALIS UT ET  
ELOQ. UTRIVSQUE PROF. P. O.

STRICTURAS EXTEMPORANEAS

Fallendo dierum Canicularium otio publico

H. L. Q. C.

Ad d. XIII. AUG. M D IICC.

Defendet

PHILIPPUS FRIDERICUS ZUBRÖDE/  
STUTTGARDIANO-VVIRTEMBERGICUS.

\*\*\*\*\*

GISSÆ-HASSORUM, Typis HENNINGI MÜLLERI.



*ILLUSTRI*  
STATUUM WIRTEMBERGIÆ  
PROVINCIALIUM

SYNEDRIO

UTRIUSQUE ORDINIS ET DELECTUS,  
*VIRIS*

EMINENTI MUNERUM SPLENDORE  
PRUDENTIA INCOMPARABILI  
FIDE IN PATRIAM INCORRUPTA  
SPECTATISSIMIS,

PRÆSULIBUS ET ABBATIBUS  
TAM INFULA QUAM PIETATE  
TAM DIGNITATE QUAM DOCTRINA  
TAM CONSILIO, QUAM DEXTERITATE  
COMMENDATISSIMIS.

*EXCELLENTISSIMIS JURIUM CONSULTORIBUS.*  
NEC NON

CONSULIBUS  
AUCTORITATE, SAPIENTIA  
CANDORE

MULTOQUE ANNORUM USU  
CONSPICUIS.

HOC QUICQUID EST  
*OB IN SE PATREMQUE BENEMERITA*

GRATITUDINIS ERGO  
*DICAT*

RESPONDENS.





DE  
SOCIETATE SVEVORUM NOBILIUM  
S. Georgen-Schildis.

I.



Os pes in omni Historia sit oportet, qui nesciat *Sue-  
vorum* generosum nomen à virtute cum primis,  
rebusq; fortissimè gestis commendari. Vix ad spem  
regni surrexerat *Italia* gentium domitrix, eamque  
tantum non à *Gallis* \* (*Suevi* erant) sub Brenno  
duce peremptam fuisse fasti significant. Nec va-  
luerunt conceptæ Romanorum in *Alemannos* iræ, quorum intactum  
robur bellique peritiam adeò vellicare non ausi sunt, ut negotium fu-  
rori simile *Cæsar* aggredere, cum fatalem hujus gentis indignatio-  
nem trajecto temerè Rheno provocaret. \*\* *Longobardi*, populus &  
armorum vi Legumque prudentia potens, ad *Suevos* originem refe-  
runt: & his Roma tot trophæis ab hoste relatis, tot nationum exu-  
viis superba tributum servitutis pependit. Ne quid commemorem,  
vicinas circum regiones, ad umbram nomenque *Suevorum*, velut ad  
conspectum feretrum morituros, obpalluisse, quos ibi locorum *mi-  
grationibus armatis* imperium condidisse legimus, ubi columnas  
*Herculis* orbi limitem & bello remotior ponere vetustas judicavit.  
Fasces huic hominum generi, quos in prærogativâ de suis laudibus  
pronunciare reliqui jure meritoque patiuntur, omninò deberi crede-  
res, qui nunquam *libertatis* aureæ turpem jacturam fecit, saltim ita,  
ne ferocior ex clade & ruinis ad majora honoris augmenta consurge-

A 2

re

\* Galli & Galatæ idem ac Keltæ, qui Suevi, Rheni accolæ, vid. *Aven-  
tinus* l. 1. *Annal. Bojorum*, & *Crusius*, *Annal. Suev.* l. 2. parte 1.

\*\* Citare de his & quæ proximè sequuntur Auctores, operosum foret,  
neque id agimus: vid. post allegatos *Lazius* de migr. *Lehmannus*, &c. & *Ex-  
cell.* *Dominus Pregitzerus* dissert. cui titulus: *Regna gentesque in Europâ Prin-  
cipes ex Suevis.*

repossit. *Reges* dedit Imperio validissimos, *Ducesque* nemini facile comparandos, quorum sanguinem cum polluta parricidio Neapolis extinxisset, mirumne sit attritam Italicis Pontificum artibus Germaniam proximè ab interitu abfuisse? Sed ne his quidem detrimentis afflicta Suevorum virtus emarcuit, quæ, capite seu flore potius in *Conrado* juniore decusso, confinia Legibus armisque tueri cœpit, fidei & constantiæ verè Alemannicæ exemplum posteris futura, quo FORTISSIMA Europæ NOBILITAS diutissimè, non periturâ gloriâ, cum aliis præfulsit.

II. Enimverò ut in domesticas laudes abeamus, neque modestiæ patiuntur rationes, neque consilium præsens, quo de *Societate Suevica Nobilium St. Georgen Schids* per stricturas ex *Jure Universali* brevissimas non nihil differere collibitum fuit. Exornavit hoc argumentum cum affinis aliis præstantissimæ vir Eruditionis Cl. J. Ctus Dominus DATTIUS libb. V. de *Pace Imperii Publicâ*, quibus suo merito litteratorum cætus adplaudit, Auctoremque ut talia Vetustatis Suevicæ rudera suis commentariis doctissimis illustrare pergat, adpositis laudum ornamentis cohortatur. Hujus vestigia secuturi extantiores hinc inde flosculos decerpemus, quorum suavissimo odore Syrii etiamnum ardentis intemperiem, saltem otium publicum, sub umbra Academica tantisper dispellemus.

III. OBSERVAMUS I. *Originem SOCIETATI GERMANICÆ* non *miseriam* solum Germaniæ ad *αιναρχίαν* ferè spectantem, ne dum *ferociores* justo in legitimè imperantem *animos* dedisse; sed ipsam NECESSITATEM, eique voluntatem Cæsarum seu Regum Germaniæ obsecutam. Longa mali series! Jacuere fasces discerpti: jacuit Pontificum dolo, expeditionibus Italicis, dissensionibus familiarum illustrium, ipsorumque, qui Reipubl. præerant, socioriâ & torpore, *malè composita Majestas*, quæ, cum postea vellet mederi malis, Legum armorumque præsidio, non valebat. Translata in Principatus officia cristas adposuerant auctis Imperii peculio, qui progestæ Provinciæ rationibus vim tandem reponere didicerant,

cerant, ob indulgentiam τῶν ἐν ὀπισθοχῆ, speciem juris habi-  
 turâ usurpatione. Neque tamen partibus & sua fides, &  
 ex dissensione robur constitit, præsertim si facilius in di-  
 visos imperium imbellis coronæ auctoritas, ut in VVen-  
 ceslao videre erat, affectaret. Hinc lites, discordiæ, simul-  
 tates; & in Sueviâ maxime tot civitatum Ordinumque,  
 etiam post *Rudolfi I. Suevi*\* tempora funestissimæ jactatio-  
 nes: & ex illis denique subnatum jus manuarium **Faust-  
 und Kolben-Recht**/ ubi nemo ferè audiret neminem, sed  
 sine iudicio, audituque Legum mutuæ invasions, exactio-  
 nes, ἐνεχυριασμοὶ, ἀνδροληψίαι, incendia, vastationes, cædes  
 grassarentur. Qui Status parū nihilve differebat à NATU-  
 RALI, quo vigente ut ante civitates familiæ segreges suæ  
 prospiciunt salutem, quantum per tempora licet & faculta-  
 tes: ita soluto civitatum nexu, saltim luxato, ne nervis  
 suis & cartilaginibus apte factis cohæreat læsa compages,  
 perinde est, quo CONSILIO civitates in aliquam liber-  
 tatis speciem reductæ securitati suæ velificentur.

IV. Sic in *Societates* varii nominis eventusque  
 coibatur, & *fœdera*, quæ inauspicatum in media Republica  
 præsidium meritò habentur à Cl. nostro *Auctore*. l. i. c. 6. de  
 Pace l. P. & vel maxime ob eam causam, quod in varios  
*abusus* pateant. Mireris tamen *instigantibus* quoque  
 Imp. Edictoquo nonnunquam minaci cogentibus eve-  
 nisse, ut in confœderationes arctissimas à civitatibus ordi-  
 nibusque coiretur: Et æquum omnino erat, non cohibere  
 prudentiam se custodiendi, cui viribus suis succurrere non  
 poterant; fassio *Sigismundo* in tabb. *Privil. Novimb. 1422.*  
 Und wenn wir wohl vernommen haben / daß die Ritter-  
 schafft im Teutschen Lande viel Zwang leydet — und wie-  
 wohl sie villeicht oft gern zu uns Zuflucht hätten / von  
 A 3 solch

\* vid. Crusius Annal, part. III, lib. III. cap. 1.

Part. II.  
Lib. V.

Solch Unrechts wegen uns anzuruffen/ihnen das zu wenden/so sind wir Ihnen oft zu fern -- daß sie uns nicht füg-lich mögen erreichen. Darumb und mit wohlbedach-tem Muth/gutem Rath und rechtem wissen / geben wir volle Macht und Gewalt/der ehegenanten Ritterschafft in Teutschen Landen/und gönnen Ihnen daß sie sich un-dereinander Verbinden. &c. Idem à Civitatibus Suevicis saepe factitatum est: v. g. Anno 1377. cum Helvetiis inie-runt foedus, quod *magnum vocabatur*, teste *Crusio*. Neque obstat Cap. XV. A. B. de *conspirationibus*, ubi §. I. inter alia. *Insuper & confederationes & pacta, nec non & consuetu-dinem circa hujusmodi introductam, quam censemus potius corruptelam, ne probamus, damnamus, & ex certa sententiâ irritamus.* Iisdem *conveticulorum* nomen tribuitur, quæ hæreticis prohibentur l. 6. §. I. C. de *Heret.* Equidem rectè *Grotius* l. 2. c. 15. *Regum*, inquit, *est fædus facere.* Sed rectius l. III. c. 20. §. II. subjungit: *Modo is Rex etiam jus habeat non IMPEDITUM*: quod non solum in captivitatibus obtinge-re solet, sed etiam aliis ex causis, quæ influxum capitis in Rempublicam sufflaminant, ne jure communi civibus ex *beneficio Imperii* liceat fruisi. Quamobrem *necessitas le-gem* non habet, quam prævidendo *Carolus* c. XII. A. B. *Electo-ribus conveniendi & de Republ. consultandi* faculta-tem tribuit: Quod ad alios extendi, fato premente, nihil prohibet, indulgentibus, saltem conniventibus iis, qui Majestate potiuntur; præsertim si non *CORRUPTELA*, sed *corruptelis occursura* sint tales conventiones publicæ. Certè *Maximilianus Rex* maximo nisu promovit *fædus Suevicum*, cujus familiæ intererat, minui Bavarorum su-percilium. Alias consociationibus illis summa non de-erant capita, Principes & Comites, quorum *sibi ipsis pro-*  
spici-

spiciendi jus post Caroli IV. tempora satis possessione usque firmatum erat. Referis huc, quæ dixit ὁ πᾶν Grotius de *judicio* continuè cessante circa fatalla momenta justæ propria manu defensionis. lib: I. III, 2. & II. I, 5.

V. Præclare autem meminisse oportet, *Societatem* S. Georgi ( nam hujus patrocinio multum gloriabantur in bellis Sarracenicis ) *vulgarem*, ab illa, quæ à *Scuto vexilloque* nomen adepta est, oppidò differre. PRIOR, ut & aliæ *Wilhelmi* & *Leonis* symbola referentes cum Civitatibus foedere coagmentabantur Anno 1382. cujus tabb. recenset *Cl. Dattius*. POSTERIORIS origo ad *vexilli praelationem*, Suevico nobilium Ordini Equestri antiquitus *debitam*\* indeque ortam contentionem sub finem fere seculi XIV. revocari debet, firmando postmodum hujus foederis per diploma *Sigismundi* jam memoratum coagulo. Nomen Societatis à *Georgio*, fictitio quodam sancto accersitur: Ubi memorare liceat, quod *Spondanus*, *Baronii*, sed ipso judiciosior longè Epitomator, *Georgium Alexandrinum* inter Martyres minime patiatur collocari? Neque *Nicephoro Callisto* Auctori, ut *Casaubonus* judicat, futilissimo quicquam credendum est. Optima *Angeli de Nuce*, Neapolitani notis ad *Chronicon Casinense*, confessio:

Cum, ait, *Georgius Christi miles*, provinciam quandam vel urbem per Evangelii predicationem à *Satana* faucibus eripuisset, hanc historiam symbolice expressurus pictor quispiam seu fictor, equitem pinxit vel effinxit, puellam regiam (cujus imagine provincias olim & civitates representabant) gladio seu lancea, quod est verbum *DEI*, à dracone cui destinata erat, liberantem. Successu temporum & seculorum, antiquæ originis ejus Symboli

p. m. 489.  
Edit. Paris.  
68.

\* Privilegium hoc, und daß sie in Schlachten und Eroberungen sollen den ersten Angriff thun/ vexillo præeunte scilicet, refert *Crusius*, ad annum 782. Part. II. Annal. Suev. p. m. 14. Iterumque ex *Schaffnaburgensi* p. 234.

*Soli oblitterata memoria, & remanente Symbolica illa pictura in historicum evasit argumentum, piaque credulitati, que circumfertur, materiam præbuit. Lucie Syracusanæ oculos erutos nulla prodit Historia, que pondus habeat, & nihilominus per manus traditur. Simile quid accidit in divo Christophoro, in septem dormientibus, aliisque admirandis narrationibus, quas propterea prudentissima Ecclesia censura è publicis officiis proscripsit.*

VI. OBSERVANDUM II. Scopum his aliisque confederationibus communiter præfixum fuisse, SE SUAQUE TUERI: cum, quæ est hominum malitia, nisi legibus metuque coerceatur, facile in rapinas & cædes exundet licentia, quâ, ut apud *Comicum* legimus, *facile omnes deteriores sumus.* At quid continuatâ bellandi necessitate miserius? quid horrendum magis, quam vitam, salutem, possessiones, velut in turbido salo fluctuare, nullo cû securitatis munimento nisi per castella, moenia, solitudines, sylvas, turres concilietur. Et quid hac ipsa custodia calamitosius? quæ *multitudine & perfidiâ* facile superatur. Quid funestius? quam si Leges cum Judiciorum auctoritate penitus expirarint, jaceant commercia commodis humanæ vitæ prospectura, neque

*Vacuus tutò cantet coram latrone viator,*  
regnante diffidentia, malorumque libidine, qui cum causas injuriarum non acceperint, fingunt. Eapropter, cum & *Civitates* (quas tutelæ & *advocatiæ*\* principum Comitumque supponi frustra fuit) & NOBILITAS possessiones suas, jura & dignitates corrumpi, atque invasionibus patere nollent, SINGULARIS & propterea insufficientis DEFENSIONIS pertæsum fuit, ut tandem variis  
hinc

\* Sic sub se habuit Eberhardus Comes Wirtembergiæ der Grein, & civitates XXIV, narrante Crusio, tanq. *advocatus & defensor.*



hinc inde foederibus innecterentur : Etiam *Nobiles* (latius accepto vocabulo, quatenus Ordinem Equestrem, Fürsten / Graven / Herrn / Ritter und Knecht non exclusis Abbatibus Personisque Ecclesiasticis complectitur) sub divi Georgi Clypeo (vel ut verba habent *Bereinigung mit Sant Jörgen Schild : dem Ritter Sant Georien zu Lob und Nutzen / uns selber / der unsern und gemeinen Landen zu Frieden und gemach*) *fædus pepigere*, & quidem cum *Comite Ulrico VVirtemb.* Anno 1437. subsecuturis aliis & *renovationibus & amplificationibus*, quæ ad civitates tandem v. g. *Statt zu Pfullendorff* Anno 1460. extensæ fuere. Occasione *Bodmanni Nobilis Suevi*, quod \* *antiquissimum* hac de re allegante *Cl. DAT- TIO* habetur, Anno 1392. confluerunt *Nobiles* magno numero, ut præferendi *VEXILLI GEORGIANI Jus* (das Recht ex veteri consuetudine den S. Jörgen Paner zuführen) & atroces Bohemorum calumnias vindicarent. Curatoris postmodum foederis *indolem* ex Legg. accepit consociatio, maximum Unionis pretium latura, cujus finis primus & palmarius erat, repetita non semel formulâ, *TUERI INNOCENTES, CONSERVARE JURA, REDUCERE TRANQUILLITATEM.* Wenn wir / inquit tab. alleg. An. 1437. mit ganser Begir geneige sind / daß Bansen / Rich und Arm / Bilgrim / Roslüt / Landfarer und Rosmannschafft / Gotshüser / und alle ander ohnversprochen Gut / sie sein Geistlich oder Weltlich beschirmt werden / sicher  

B Ngen

p. 252.

\* Etenim ultra annum 1379. sodalitarum quatumvis initia percontari velle, frustraneum laborem esse existimat sæpe laudatus noster Auctor fol. 43. Citatus ibi *Crusius parte III. l. V. c. 13.* docet, non tantum anno 1380. 72. Civitates Sueviæ coaluisse, ut prohiberent prædationes in viis. Et qui Symbola à Georgio seu bestia quadam asciverint, imaginem in veste circumtulisse.

figen / dester baß gewandern und bey gemacht verbliben  
mögen : So haben wir uns &c. &c.

VII. Notare supervacaneum esset, Nobilitatem Sueviæ in tres eâ tempestate portiones divisam fuisse, He-goicam, Superioris & inferioris Sueviæ, quæ in quadru-plex postea discrimen \*\* transgressa est ( weil das Land Schwaben/ inquit foederati Clypei S. Georgiani sub anum 1488. weit und breit ist / und unser vil sein/ damit wir unser Sach außtråg und händel -- mit minder Mühe und Kosten außtragen mügen / partes Sueviæ duæ in tres divisæ sunt, viertel am Rothen/ Donau und Necker ) duratura postmodum partitione. At enim verò metam contingere sibi propositâ non potuissent nisi con-stituto iudicio, quod Arbitrii vel Austregarum modum referret, pœna temeratae pacis in eos constituta, qui refragarentur. Sapienter enim monet in Grotium Ziglerus. *Non arbitrator, ait, consistere posse societatem sine iudiciis, saltem inter populos moratiores : & Aristoteles, ἢ ᾧ δὲ δίκη, inquit, κελσις τῆ δίκαις ἔ ἀδίκας, iudicium juris & injuria dijudicatio est, ἔ τῆς πολιτικῆς κοινωνίας τάξις.* Unde in fœderibus Græcorum solemne erat, iudicii rationem expedire, si lites orirentur, quod commodè κοινοδικαίον adpelles. Neque modum methodumque perspicio, quâ societas, quocunque demum fœdere equali vel in equali conjungatur, durare longius, & dissolutionis discrimen evitare queat, nisi difficultatibus dirimendis tribunal aliquod ex compromisso erigatur. Solet tamen fieri, ut Principes fœderis, nisi tabulæ dissentiant, ipsa jubente prudentia, litium arbitri constituentur, servanda nonnunquam specie qua-dam auctoritatis, etsi dissoluto fœdere, quam vel Superi-  
riori-

l, 2 cap. III.  
§. 2.

\*\* Suevorum divisionem ex Strabone memorat Crusius parte II. p. 28.

rioritas, vel virium jactantior ostentatio, surgente apud imbeciliores metu, afflarat. De *Civitatum compagibus*, *συσηματα* vocant, nihil hic attinet monere, quæ judicio communi fruuntur ad præscriptos limites transcriptæ judicibus facultatis: de quo satura lanx *Politicorum*, interq; eos Excellentissimus Dn. D. *Hertius* Antecessor. Fac. Jur. celebratissimus *Elem.* p. 146. seq. Curiosa sunt, quæ l. I. c. 8. *Cl. Dattius* de *Irenarchis Friedens-Richtern und Mund-Männern* \* in medium protulit, usitatis in Jure & Civili & Publico vocabulis. *Irenarcha.* l. un. C. h. t. ad provinciarum tutelam QUIETIS AC PACIS per singula territoria faciebant stare concordiam: & Illi Suevorum per districtus ordinatius distributi (*Hauptleuthe*) tranquillitatem, ut apud alias gentes *Gardiani* & *custodes Pacis*, unice spectabant ditionum, propter quam orta Societas facta tecta que conservanda erat. Cæterum *Mund*, *Spelmanno*, *Pax* est, *tutela*, *defensio*, idem quod alibi *garantia*, *Advocatia*, cum quo *Etymi* rationem ignoro: neque enim Anglicum *mount*, quod *sepem* significat, silente Britanno nostro in subsidium cognoscendi sensus advocare licet.

VIII. Quod judicii FORMAM attinet, in rudimentis Georgiani fœderis primoque initio comparentem, facilè deprehendo ingenuam simplicitatem, quæ ambagum pertæsa recto itinere ad juris bona fide declarationem & ministerium iret. Equidem lapsu temporis FORMULÆ sociorum prudentiâ usuque limatiores accesserunt, quæ *litium ordinem processumque*, ut & *subsidia, ministros, causas*, dilucidius demonstrarent: & quod fieri amat,

B 2

δευτερας

\* Aliud *Montmann*/ vir alienæ potestati subjectus, nisi termini sint correlati, Idem sentiente *Dattio* c. 14. lib. 2. §. 91.

δὲ τῶν Φεοντῖδης, quæ obscurius confufiusque proponen-  
bantur antea, correxerunt. Aufim tamen affirmare SUE-  
VICUM FOEDUS tot Historiæ monumentis celebra-  
tum, *amplitude solum & circumstantiis* à furculo illo dif-  
ferre, qui corticem cum annis adultiorem in patulos de-  
nique ramos frondesque diduxerat. Inspectio tabb. abs  
*Cl. Auctore* productarum asserto fidem faciet, qui foederis  
INSTITUTUM Suevici, *quæ* senatum & sessionem, *quæ*  
fori competentiam & adpellandi jus, *quæ* diætas & expe-  
ditionem, *quæ* collectationes & clarigationes cum disci-  
plina militari &c. eleganti commentario illustravit. *In*  
*vetustissimo*, quod quidem allegatur, Unionis Georgianæ  
Instrumento Anni 1437. adparent extantiora capita, quæ  
per vices, & *civili* & illi *gentium* juri propius accedere  
conspiciuntur. *Εν ὑπόδειγμα!* omisis tamen, quæ prin-  
cipem foederis C. VV. præcipuè concernunt.

l. 2. c. 25.  
seq.

I. Expeditum auxilium contra invasores, præda-  
tores, omnesq; qui *honorem, bona, corpus*, violant, admoni-  
tis *casu* vel *consilio* præfectis, clasiumque membris feren-  
dum esse: Etiam *in eos*, qui jus ex æquitate non dixerint,  
vel dicere detrectent; instituto propterea VII arbitrarium  
Principis causâ, pauciorumve circa alios concilio, quo-  
rum sit, & *jus & executionis* militaris *modum numerumque*  
definire. *Laudo* verò citra tergiversationem assurgendum  
esse.

De hoc *foedere* Anno 1463. cautum est (α) ut iudicio semper  
interposito verbales realesque injuriæ, lites de debitis, *Sub-*  
*geldern* / &c. dispellerentur, cautione præstitâ per *pignoris* con-  
stitutionem, possessione translata in creditorem. Eoq; pignore  
debitû trientis proportionem supergresso si quis careret, per in-  
terveniens jusjurandum. Utrumque ad securitatem *iudicio*  
*isti*, und mochte der Kläger hernach den ansprächigen mit  
andern

andern Gerichten) welche Ihm fügten) bestimmen und für-  
 nehmen lassen nach altem herkommen. (β) *Feudalia* non ad  
 3. arbitros, gemeine Schwids. Richter / sed suum iudicem  
 relegantur. Quod si *feudum* renunciatum fuisset, cavebatur  
 foedere Anni 1464. ut princeps foederis C. W. *restitutionem*  
*feudi* procuraret. (γ) à *primis arbitris*, methodo à civilibus  
 diversâ, permittitur appellatio ad *praefectum* classis, ejusque  
 consiliarios, intercluso posthâc eodem remedio, damnatisque  
 in expensâs, qui auxilii socio ferendi gratiâ contra Seniore  
 causâ coram praefecto ceciderint. (δ) *Bonorum* nomine jura,  
 Gnaden/ Briefe/ altherkommen/ ruhig gewâr &c. intelligun-  
 tur. (ε) Auxilium ἐπ' αὐτῶν φόρῳ auf frischer gethat singulis à  
 notitiâ momento injungebatur, servatis praefecto rei amissâ  
 vindiciis, ders sordern soll zubefehren / *verbis* primò, post  
*armis*, obligando ad sequalam ordine, sumptu publico. (ζ)  
 Si quis vom treyen Willen vor sich in Krieg fâme / sibi habi-  
 tutum & exedendum esse, quod intriverit. (η) *quieturas* lites  
 domesticas, orto cum exteris dissidio armato.

II. Occupatis vi armata castris, munimentis, mu-  
 nicipiis, eorum *fore dominium*, quorum causa susceptum  
 negotium est: Etiam λῦτρον capti civis vel coloni; data  
 tamen foederis principi prerogativâ. *Nobiles & milites*  
 reisige und edle in classis custodiâ futuros, cujus res agi-  
 tur.

Notandum: quod die schâsbare Bürger und geburen nobi-  
 libus opponantur, commutandis ut videtur, non λῦτρον  
 redimendis.

III. Pacem *in scio* foederato coalescere non debere.

Imò nullos contractus fieri transactionesque cum exteris, nisi  
 exceptis salvisque Juribus Congregationis *Georgianae*.

IV. *Hostem* Socii à socio protegendum non esse:

Solle sie wissentlich nicht enthalten / Hufen und Höven/  
 Essen/ Träncken/ noch gefährlich hinschicken/ Hülf/ Be-  
 furderung noch Beystand nicht thun.



V. Castellis & munimentis partium partibus *re-*  
licere, propitia annonâ.

VI. Orta lite circa hereditates, *Nobilium* fore ut  
jus suum disceptent coram arbitris, quorum unum actor  
è classe communi eligeret, reliqui duo subjungerentur;  
*Cives* suum forum secuturos. Electis autem arbitris jus-  
jurandum, quo aliàs tenentur superiori, relaxandum  
esse: **Sie Ihrer Unde ganz zuerlauffen.**

Ampliatum 1463. (α) ut Socii ad externa judicia pertrahantur,  
collata ope permittendum non esse, nisi in *causâ eximia*,  
*præsciis* classium Præfectis. (β) Nullam alienationem fieri  
debere, in fraudem legis, fœderis, officii, quod laxius postea  
interpretati sunt Nobiles, servato jure *alienationis*, *obpigno-*  
*rationis*, cum clausulâ tamen, doch soll dieses mit *Beverden*  
nicht geschehen. (γ) Nec alterius subditos, eigen *Lut/ nach-*  
*jagend Bogelht* in civitatem recipere licere: \* *Pfalburgeratus*  
scil. per Imperatorem C. XVI. A. B. sublato, qui oscianter in  
tabb. *Sigismundus* vocatur. (δ) Neminem sociorum suppe-  
tias laturum alteri litibus externis implicito, nisi volente acto-  
re reove, dem *Sâcher* / exceptis consanguineis & familia-  
ribus. (ε) Constituto annali præfecto parendum esse. (ζ)  
Emptionem litis prohiberi.

VII. Cum utraque pars se læsam existimaret, transi-  
gendum seu judicandum per arbitros de *Actore*, **welcher**  
**Kläger oder Zusprâcher sein soll /** qui *rei forum* sequatur  
(dem antworter soll der *Kläger nachfahren* ut alibi.)  
Stetque laudo arbitratorum.

VIII. De reliquo, fœdera, castella, privilegia, con-  
suetudines, judicia & jura casibus non conventis prorsus  
*inconcussa* atque *illibata* fore.

IX. Ex-

\* Quem ut à Clientela distinguat & Usburgeratu Cl. Dattius. vid.  
l. 1. c. 14. ubi de colligationibus & confratriis à Carolo IV. prohibitis fusè.

IX. Excipi res Ecclesiasticas *in suo foro* dijudican-  
das: wäre: Ob unser gnädiger Herr und Mitgeselle  
Bischove Henrich zu Costenz oder seine Pfaffheit —  
Scht zu sprechen hätt / *actionem cuiusdam intendere pos-*  
*set* — anzukommen nicht schuldig sein sollen.

(α) Exceptus *et Caesar*, aliique Principes *in tabb. posterioribus*.

(β) Geistlichen Sachen sollicitè cavetur, excepto nomina-  
tim *Pontifice*. (γ) etiam litibus ante unionem ortis, secus *de*  
*secutis*, ut expresse in tab. fœd. 1437.

X. Neminem *receptum* iri, nisi præstito in conven-  
tionis capita jurejurando.

(α) Servata tamen *facultate* 1463. augendi mutandique arti-  
culos, quod sæpè factitatum est, & statim Anni 1464. maximè  
circà jus Principis in fœdere. C. W. circà *numerum* arbitro-  
rum, *instantias*, *alimenta* militum *et expeditiones*, quæ in  
fœdere demum Suevico, ut alia, *modum perfectiorem* acce-  
perunt. Hujus tamen id singulare erat, quod castella & præ-  
dia hostilia destruerent, incendio delerent, præfixis per in-  
cendiorum Magistros *scutulis* in loco, quem servari mallent.  
vid. Dattium p. 483. & 486.

IX. Quæ omnia dum perfunctoriâ cogitatione per-  
pendo, quid est I. quod *laudem prudentiæ* non mereatur, si  
consilium *se servandi* fractis Imperii rebus contemple-  
mur, ut videlicet salus sociorum liquidis juribus & vi  
circum positâ custodiatur, cudendâ in illis fabâ, qui pro  
sua temeritate & malitia rebus alienis manum non absti-  
nuissent. Sed II. *πολιτικῶς* ista consideranti quàm puden-  
da facies occurrit? quæ labefactatio Reipubl. quam uni-  
cus spiritus regere debet, indivulsa majestas? quæ cala-  
mitatis internæ confessio? Annon hoc erat in *civitate*  
*condere civitatem*, tanto majori cum periculo, quod non  
iudiciis solum, sed *et armis* negotium ageretur, vis vim  
pelle-

pelleret, majore sæpe *specie*, quam *jure*, præsentibus mi-  
nis & excidio. Excepta quidem Cæsaris auctoritas;  
sed crescente potentiâ cuius manus fuisset, cuius unguis  
in hoc ulcere? cum ferreâ jam fronte essent Sociati, emun-  
ctis deletisque, qui contrâ hiscerent. Neque obscu-  
rum est, *insensam* Imperii regalibus & Austriæ compa-  
gem, cum maximè libera colla jactaret, libertatis jactu-  
ram & sibi & aliis portendisse, *rumpendo baculo*, qui Bava-  
ros, qui prædones castigasset. Cæterum si quis *tot* Civi-  
tates & ordines *in systema perpetuum* convalescere potuif-  
se, licet *Georgii clypeum* Argolico & illo Goliathi amplio-  
rem fingamus, absorptâ Cæsaris majestate existimaret,  
illum in Platonis *Republ.* somniasse, aureosque sibi mon-  
tes polliceri crederemus.

X. Ad I. Capitulum noto (α) *Ἰμπαρίας* ut & *συμ-  
μαρίας* plerumque *tactitis* magis conditionibus quàm aper-  
tis restringi v. g. si propior paries ardeat, periculum reme-  
dio majus sit: valeat enim illud Senecæ; *succurram peri-  
turo sed ut ipse non peream*, apud *Grotium* l. II. 25, 7. qui  
fidenter asserit, *socium non teneri si nulla spes sit boni exitus.*  
(β) Arbitrium in fœdere nostro non *merè civile* est, sed  
cum judicii gravitate commixtum, quod ex *adpellatio-  
nibus, executione sententia* aliisque satis adparet. Ita so-  
let in moralibus, ut rarò *speciem* servent, sed ex volun-  
tatis humanæ genio versatili diversam subinde natu-  
ram induant è circumstantiis dignoscendam. (γ) *Expe-  
ditum* auxilium semper carere *injuriâ* non potuit, non-  
dum cognitâ causâ; quandoquidem accenso, ut fit, pri-  
mo fervore majoris quam sunt damna judicantur & æsti-  
mantur. In cap. II. *jus occupandi* bello capta, victoribus-  
que adpropriandi durius est, quàm stomachus Cæsaris,  
modò



modò benè valuisset, & libertas membrorum in imperio concoquere potuerit. Domone, aris focis & juribus confestim excidendum est, si Societatis arbitrio non obtemperes? si tuum manu te consequi posse speraris, licet invitâ Lege, qua forenses non tenentur. Ubi mansurum est *jus*, quod majestati *in terras* est, Cæsari *in suos*? Heteroclitum hunc processum eliminari moribus prudentia commendatis oportuit; quanquam alias non difsiteamur, socio jus esse posse *cogendi* socium ut stet legibus foedere conventis.

XI. De III. IV. & V. egregia passim monet Grotius l. II. c. XV. & XXI. lib. III. c. 3. (α) Interest *socii*, ne alter cum hoste pacem ineat, cui jus belli subnatum est in omnes *societati conjunctos* ob ipsam societatem, utcumque fortasse dissimulet opprimendis incautis. Quanto minus (β) existimari debet, *collusiones* Socio convenire cum hostibus, *receptum*, *fomentum*: quo animo non tantum hostilia indueret, sed etiam ex damno, læsa pace publica, teneretur. Et quid τῆ σὺμμαχίᾳ magis adversum est, quam *protegere* eos, quibus opprimendis nata erat societas. [γ] Denique ut *castella pateant* \* præsidio imponendo, communis jubet *intentio sociorum*, quod jus eo minori laborat obscuritate, quo clarius à Grotio demonstratum est, ab eo qui *pium bellum gerat* occupari munimentum posse, quod *situm sit in solo pacato*. Cautio subest, ut fiat citra noxam & cum impendio totius societatis, cum datum fuerit damnum. *Naturaliter enim*, ait idem Grotius, *socio socius tenetur ad reparationem damnorum*, quæ ob negotium commune aut publicum eveniunt.

lib. II. c. I.  
10.

l. III. 6, 23.

C

XII. In-

\* *Iure apertura*, quod vocare placuit, ut eò tutior receptus esset. vid. *Durr.* p. 149. sed etiã promptior defensio, sicut *Darwin* uñ *varus* jubebat *ut* *tabo*, 1437.

XII. Inter optima partes conciliandi media, quod ad sextum adnoto, *compromissum* est, teste τὸ πάλιν Lib. III. 23, 8. neque enim *amicam* compositionem, *transactionem*, *divisionem*, *sortem* dirimendis partibus sufficere semper & placere constat. *Arbitrii*\* enim *vis* cum à conventionem pendeat, sententiæ judicialis in modum decidit, evitando, quem stolidè pertinaces sectantur, in infinitum processu. Patiar tamen, quamvis exiguo usu, distingui *arbitriorum* genera ex *Grotio* eodem lib. III. c. 20, 4. quorum *illud* proprie ex *compromisso* est, cum obligatione standi sententiæ justa vel injusta sit: *Hoc*: quo ad boni viri arbitrium itur. *Illud* efficaciam habet scopo congruam; cumque raro arbitrium eligatur, nisi in re dubia, gratis dicitur, eam obstinationem *compromisso* inesse, nos, *utcumque* feratur sententia, assurrecturos. Hæc boni viri sententia, nisi pariter obligatio sequelæ accesserit, potius opinio, *ein gutachten* / quam arbitrium erit. Prudenter interim *Suevi* facultatem *unius* arbitri eligendi dederunt actori, ut certò haberet, qui ex perspecta sibi fide verum justumque dictaturus esset.

XIII. Quod septimò *Rei* forum actor sequi debeat *Lege non* tantum civili cautum est τ. *de judiciis* & ubi quisque A. & C. D. & apertius l. 2. & 5. C. *de jurisdictione* & F. C. Sed ipsa suadet ratio, cum & causa rei sit favorabilior, & iudicium *converti* videatur, si, qui ad explendum jus adigendus est, jurisdictioni, qua tenetur, præpostere eximatur. *Extra enim territorium jus dicenti impunè non paretur* l. 20. τ. *de jurisd.* Ad controversiam, quis actor sit,

\* *Austregarum* originem post alios revelat, & ad tempora *Alberti* & *Friderici*, revocat idem Cl. *Auctor* p. 189. §. 17. qui & rectius, saltem clarius *Grotio* distinguit inter *compromissa* *Austregalium* statuum voluntariâ submissione, & *iudicium Sociorum* ex fœdere.

fit, determinandam facere poterat illud *Gaji*: In judiciis de communi dividundo & finium regundorum (non minima litium parte inter Suevos) cum queritur, quis actor intelligatur, quia par causa omnium videtur, magis placuit eum videri actorem, qui ad iudicium provocasset l. 13. §. de iudiciis, & si ambo ad iudicium provocant sorte res discerni solet, ait *Ulpianus* l. 14. t. c. Sed, ni fallor, in tabb. ad *merum arbitrium* talis dijudicatio refertur. **ULTIMUM** animadverto, nam reliqua transeant, exceptionem **der geistlichen Sachen** iudicio esse, quod plus oneris, quam beneficii habuerit societas circa eos, qui tanquam *persona Ecclesiastica* homogenium, non aliud, forum agnoscebant: *hujus* sententiæ standum, executio tamen armorum suppeditanda erat ex pacto, si læderentur.

XIV. **OBSERVANDUM III.** [a] Agitatis diu per *Sigismundum Albertumque* consiliis de pace publica in Imperio constituenda Anno 1431. ante expeditionem Hussiticam: comitiis *Egranis* 1437. & *Norimbergensibus* 1438. factis *Circularum* & *Austregalium* iudiciorum rudimentis, multum omnia laborabant, quod & temporis angustia & aliis casibus concepta remedia sufflaminarentur, saltem exitum non haberent expectationi convenientem: De quibus *Cl. Auct.* de P. P. l. i. à cap. 22, usque 29. Tandem comitiis *Francofurtanis* 1486. sub *Friderico III.* integro *decennio* pax publica, eumque in finem stabilita fuit, ut, *Mutio* docente, Turcico bello securus incumberetur. Secuta *declaratio Comit. Norimb.* 1487. quæ ut *Recessib.* Imperii infereretur postulatum *Com. Francof.* 1489. Huc [b] refertur *genuina origo*, & incentivum *F. Suevici*, quod *firmanda* huic *paci publicæ* coaluit: Is *fnis Unionis Suevorum* in foedere; permissionis au-

tem & *indulti* Cæsaris, rescripto 1487. declarati, Bavaricæ domus cum Austriaca simultates. Foedus, ne *difflueret* adversantium technis à rogato Cæsare *Friderico in tutelam* susceptum est V. Sept. 1488. & à Sociis *jure* postea *jurando* roboratum. [γ] *Tabulas* F. S. primas 1488. si quis inspexerit, nullo negotio deprehendet, in præcipuis capitibus cum unione Georgianâ hæctenus discussâ *convenire*, si maximè *αεσαάσεις*, quæ ex conjunctione Civitatum oriri debuerant, sejungantur.

XV. Sciendum a. 1. In istis tabb. *Societatem* Georgi primum locum, alterum civitates ibi memoratas obtinere: quibus tandem plures alii interque eos *Leonina Societas*, successerant, augefcente Unione in quam *cum reservato* nonnulli adoptabantur. 2. *Ipsa Societas* S. Georgi suam confœderationem eodem tempore 1488, renovavit: unde cognoscitur, non *commixtam* Suevico foederi, sed *conjunctam* fuisse, adeo quidem ut *Classes* Nobilitatis peculiari quandoque formulâ extructa Suevico foederi *sigillatim* connecterentur. v. g. *Classis Kocherana* apud Cl. Auctorem p. 317. 3. Ut Suevicum F. & illud S. Georgii postea *in triennium* Anno 1496. *in duocennium* 1500. *in duocennium* Anno 1512. illud quidem Augustæ videlicorum, hoc Ehingæ; illudque iterum Anno 1522. ad undecennium communi consilio propagatum, tandemque & quibus ex causis dissolutum fuerit, legere est fusè apud laudatissimum Auctorem.

COROLLARIA.

- I. **N**obilis ad stivam, & in hastiludio idem est.
- II. **N**eque nobilitas conjugio amittitur.
- III. Latroni ne jurata quidem promissio servanda est.
- IV. Rex non est Dominus, nec regnum patrimonium.
- V. Franci omnes sunt Salici: inde à foederibus, hinc à comitiis nomen habent, probante nuper Altingio.

WMA

MC




Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

**KODAK Color Control Patches**

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



LUSTRI  
WIRTEMBERGIÆ  
NCIALIUM  
EDRIO  
DINIS ET DELECTUS,  
R I S  
TERUM SPLENDORE  
NCOMPARABILI  
AM INCORRUPTA  
ATISSIMIS,  
ET ABBATIBUS  
QUAM PIETATE  
E QUAM DOCTRINA  
QUAM DEXTERITATE  
IDATISSIMIS.  
RIUM CONSULTORIBUS.  
C NON  
ULIBUS  
TE, SAPIENTIA  
NDORE  
ANNORUM USU  
SPICUIS.  
ICQUID EST  
MQUE BENEMERITA  
DINIS ERGO  
ICAT  
ONDENS.

